

*Ex Capitulo generali noſt. Ordinis XLVIII. Genue
X. celebratum num. 15.*

Maturè, ac præviè conſiderato Conventus noſtros eſſe debere tot Seminaria Apoſtolica pro confeſſionibus Fidelium excipiendis deſtinata, juxta S.N. Inſtitutoris in ſua regula expreſſam voluntatem, a Santisſ. D. Noſtro Clemente XI. confirmatam, voluerunt Patres omninò eliminare ab Ordine ignorantiam, & otioſitatem, eique primum ſuum ſplendorem reſtituere, & ad hunc effectum ſtatuere, quod in poſterum nullus in Superiorem cujuſvis Conventus, in Provincia Diffinitorem, aut Collegam Provincialelem eligatur, qui non ſit approbatus ab aliquo Ordinario ad Confeſſiones Sæcularium audiendum; & electus Corrector in Conventu ſito in Diœceſi, cujus Epifcopi approbationem non habet, teneatur intra duos meſes a feſto S. Michaelis computandos, ſe præſentare Ordinario ad approbationem obtinendam, qua denegata curet R. Ad. P. Provincialis cum ſuis Collegis electum Correctorem rigoroſe examinare, & ſi apparet ſufficienter inſtructus in materia Morali, proſequatur ſuum officium; ſi autem non, ab officio deponatur, & fiat nova electio a Vocalibus ejuſdem Conventus = Pro Conventibus vero Romanis voluerunt nullum aſſumi poſſe in Correctorem, qui antea non habeat approbationem Em. ac Reverendiſſimi Domini Cardinalis Vicarii ad confeſſiones audiendum.